

nes passivæ specificæ differunt: nam de naturis abstractis non est dubium: ergo. Probo minorem: nam differunt inter se, sicut actus comparativi differunt: sed isti differunt specificè, ex ea parte, qua sunt relativi: ergo. Probo minorem: nam obiectum actus comparativi, quo resultat relatio generalissimi, est natura, ut non habens superius, nec ut potens esse species: obiectum vero actus, per quem resultat relatio subalterni, est natura, ut habens superius, & potens esse species: sed ista duo obiecta inter se essentialiter differunt: ergo & actus ad illa terminati: ergo & comparationes derelictæ: ergo & relationes in ipsis fundatæ.

Dices cum Mauritio quæst. 9. in fine: quod bene possunt distinguenda specificè differre; & tamen distincta solo numero distingui: pater: albedo in homine, & Leone, solum numeraliter variatur; sicut albedo in Sorte, & Platone: in quibus distinguenda, scilicet, subiecta differunt specie: & tamen albedo, quod est distinctum, solo numero differt.

Contra: quia implicat, rationem alicuius distinctivam essentialiter, esse ab alia essentialiter distinctam; & distinctum per ipsam, essentialiter non differre ab illo, quod per aliam constituitur, & distinguitur: pater per singula discurrendo: ergo si fundamenta harum relationum sunt distinguenda formalia, vel quasi formalia, & specificæ illarum, ipsæ necessario inter se distinguuntur eo modo, quo distinctiva sunt inter se distincta.

Nec exemplum de albedine est ad rem: quia albedo non postulat subiectum specificum, seu commune, cui det esse, sed solum individua; & idem ordo illius ad subiectum semper est singularis: secus accidit his relationibus, quæ ex se tam ut inhæreant, quam ut resultent, postulant subiecta communia; & idem iuxta illorum distinctionem distinguuntur. Vel dicito: quod albedo; etiam si de nomine lapidem, & hominem, & res diversorum generum; habet ex sua natura eundem modum denominandi, dando illis tantum esse specificum; non inter se; sed per ordinem ad alia colorata. At vero, tres prædictæ genericitates ex sua natura habent denominare naturas communes, modo explicato; & ita tam ex parte fundamentorum, quam ex se, specie distinguuntur. Nec obstat Doct. quæst. tertia Antepredicament. appellans harum distinctionem materialem: nam distinctio materialis in plus se habet, quam numerica: non enim valet: est distinctio materialis: ergo numerica: licet bene è contra: Distinctio namque relationum realium per fundamenta est materialis: non tamen est numerica.

Ad primū

Ad argumenta: ad primum dico: tum quod Doctor non loquitur Metaphysicè in sensu primæ conclusionis, in quo præcipue procedit difficultas; sed Logice, & in sensu secundæ conclusionis. Tum etiam; quia in hoc sensu, non loquitur ex mente propria, sed secundum viam communem: hoc enim ad solutionem argumenti sufficiebat: suam autem mentem exposuit in Prædicamentis quæst. 3.

Ad secundum nego consequentiam: corporeum enim, & in corporeum accidunt substantiæ, ut sic: ergo substantia corporea, & in corporea, non distinguuntur essentialiter: Unde locus?

Ad secundum.

Ad tertium nego sequellam: nam genus, quod est primum prædicabile, abstrahit à generalissimo, & sub alterno, tanquam superius ab inferioribus.

Ad tertium.

Ad quartum, nego antecedens: nam genus habet duplex inferius: alterum eiusdem denominationis, ut sunt tria genera relata: alterum diversæ denominationis; ut sunt naturæ denominatæ; de illis prædicatur per se, tam in prædicatione signata, quam exercita: hæ enim sunt in primo modo: genus infimum est genus; genus subalternum est genus: de istis autem denominatione prædicatur: & idem proprie subijcibilia generis dicuntur; quod licet ad illas, ut sunt aptæ fundare subijcibilitatem, in quid, incomplete; & non genericitatem; terminetur: non obstat, ut respectu suorum inferiorum talem genericitatem fundent, siue infimam, siue subalternam, & supremam, quæ inter se essentialiter distinguuntur. Maxime, quia falsum est, quod dicitur, genus, scilicet, ad sui essentiam non aliud postulare, nisi ut prædicetur tanquam quoddam totum potentiale in quid incomplete: quia ultra hoc, requiritur, ut prædicetur de multis specie differentibus: & cum talia possint fundare illam triplicem genericitatem: idem genus de illis est prædicabile: ac per consequens subijcibilia generis ex se sunt apta hanc triplicem relationem fundare.

Ad quartum.

QVÆST. III.

An diffinitio generis sit convenienter data?

Nihil igitur neque superfluum: neque minus continet generis dicta descriptio, &c. Cap. eodem.



VERITUR, an diffinitio generis sit convenienter data? Quod non videtur: quia omne accidens diffinitur per substantiam: substantia enim præcedit omne accidens, diffinitione, cognitione, & tempore, per Arist. septimo Metaphysic. sed nihil ponitur hic ad substantiam pertinens: ergo, &c.

Tex. cō. 4.

Item:

Item: concretum non diffinitur, septimo Metaphysic. ergo, &c. probatio antecedentis per Aristot. septimo Metaphysic. in dictis secundum accidens, non est idem, quod quid est, cum illo, cuius est: & exemplificat, ut Musicum, & album: quæcunque verè diffiniuntur, habent quod quid est idem sibi: ergo, &c.

Cap. 1.

Item: probatur ratione: quod enim diffinitur, est in genere: sed concretum non est in genere, per Aristot. tertio Topicorum ubi dicit: quod magis est eligendum, quod est in genere, quam quod non: ut iustitia iusto.

Item: diffinitio tantum est speciei: genus non est species: ergo.

Item: hic non ponuntur genus, & differentia, quæ ad veram diffinitionem requiruntur, per Aristot. sexto Topicorum.

7. Metaph.

Tex. cō. 13

Capit. 4.

Cap. 2. & 4

Item: per Aristot. sexto Topicorum: diffinitio datur innotescendi causa: idem dari debet per priora, & notiora: species non est tale: quia est posterius genere, vel simul natura: & ita non prius, vel notius.

Item: nugatio est dicere, pluribus differentibus: probo: quia differentia in se includit multitudinem: veluti species suum genus: quod patet per Aristot. 5. & 10. Metaphysic. ergo & differentia concretius dicunt multa: ergo est nugatio, dicendo, multis differentibus: & si, ly, pluribus, ponitur pro multis, vel si comparativè, adhuc idem significat.

Text. non

habente cō.

Text. com.

10. 12. &

17.

Dicitur ad hoc: quod nugatio est in præponendo inferius superiori ex eadem parte orationis, non è conuerso: quia inferius tunc est specificans superioris.

Capit. 3.

Contra: Aristot. sexto Topicorum; ubi docet interimere diffinitiones propter nugationem, dicit sic: rursus; si uniuersali dicto addatur, & particulare, supple nugatio est: ut si de mentiam diminutionem expediens, & iustorum: nam iustum expediens quid: quare iustum continetur in expediens, sicut inferius in suo superiori: abundans ergo iustum; id est, superfluum est in diffinitione, prius habito expediens.

Text. com.

43.

Item: dicitur septimo Metaphysic. cap. de unitate diffinitionis: quod nugatio est in præponendo differentiam superiori inferiori: ut animal habens pedes

bipes: quod ibi probatur dupliciter: uno modo ex per se modo cognoscendi nugationem: quod est ponendo rationes pro nominibus: nihil enim aliud dixerat, quam animal habens duos pedes habens. Aliter probatur idem ibi, sic, ex transpositione terminorum. Palam autem erit; si quis transponat tales diffinitiones dicens: animal bipes pedes habens: dicto enim bipes: superfluum est dicere, pedes habens: prius ergo fuit nugatio. Hæc duo media, scilicet, de ratione ponenda pro nomine: & transpositione terminorum; si valent, si pro quia, & ubique, improbant prædictam responsum.

Ad oppositum est Porphyrius.

Et Aristot. sic diffiniens genus primo Topicorum.

Capit. 4.

Dicitur ad quæstionem: quod est descriptio, non vera diffinitio: quod innuitur in littera; cum dicitur: quod etiam describentes.

Sed sic, facile est euadere pene in omnibus diffinitionibus: nec illud ex littera prodest: quia in littera est assignauerunt, id est diffinierunt.

Item: inferius capit. de specie dicitur: necesse est, in vtrorumque rationibus, vtrisque ut: ratio autem, quam significat nomen, est diffinitio, 4. Metaphysic.

Text. com.

48.

Item: hæc ratio conuertitur eum diffinito: ut probat Porphyrius: & non prædicatur ut accidens de ipso: quia quæ ponuntur in ea, sunt eiusdem generis cum diffinito: quia intentiones: quodlibet autem eiusdem generis, quod prædicatur per se de alio eiusdem generis, est superior ad ipsum: quia nec inferius, nec disparatum: ergo hæc ratio est diffinitio.

Item: per Aristot. septimo Metaphysic. ratio, quæ est ex prædicatis per se, in quorum diffinitione non cadit per se subiectum: si sit conuertibilis cum diffinito: est diffinitio: hæc est huiusmodi: quia in diffinitione nullius diffinitivi cadit diffinitum.

Text. com.

11. & 13.

Item: prædicatur per se, & conuertibiliter: & non ut proprium: quia tunc tota hæc ratio posset diffiniri: neque; ut differentia vltima: tunc enim illi oporteret addere genus: sed addendo uniuersale, quod est genus diffiniti in hac diffinitione, erit nugatio: ergo hæc est vera diffinitio.

K 1

D 1



Dicendum ergo ad questionem: quod est vera definitio, quod sic ostenditur: ratio vniuersalis est prædicari de pluribus, per Arist. primo Perihermenias: cum ergo in definitione generis ponatur prædicari de pluribus, ponitur genus eius: postea ponitur differentiæ specie, & in quid, quæ sunt per se differentia generis: probatio: quia per se diuiduntur superius, scilicet, prædicari de pluribus: ergo sunt per se constitutivæ inferioris, ad quod superius per illa appropriatur. Diuiditur enim per se prædicari de pluribus, in differentiis specie, & differentiis numero: quia de differentiis genere, in quantum ratio, nihil prædicatur per se: diuiditur etiam in prædicari in quid, & in quale, vt in primos modos prædicandi: & per has differentias diuisiuis, manifestum est, quod contrahitur vniuersale ad genus: sit enim ratio conuertibilis: ergo, &c.

Ad primum argumentum dicitur: quod illud est verum de accidentibus copulatis, id est, quæ sibi determinant subiecta, quæ vocantur copulata septimo Metaphys. intentiones autem sibi non determinant rem alicuius generis: quia vniuersè applicantur omnibus.

Text. com. 17. & 19.

Text. 39.

Contra: si passio sit vniuersa, & subiectum per Aristot. secundo Posteriorum: ergo si passio, scilicet intentio, sit in multis generibus vniuersa, & subiectum eius: etiam si actus sit vniuersus: & potentia: quia potentia per se ordinatur ad actum: subiectum est in potentia ad accidens, sicut materia ad formam: quia accidens non habet aliam materiam, nisi in qua.

Dici potest: quod propositio Aristotelis vera est de passione reali, quæ egreditur ex principiis subiecti, de qua loquitur ibi, quæ est de subiecto demonstrabilis: cuiusmodi non est intentio: quia effectiue est ab intellectu. Per hoc idem ad aliud: quia illud est verum de potentia per se ordinata ad actum: cuiusmodi potentia non est in subiecto intentionis ad ipsam: quia illa non est rei, secundum naturam: sed vt consideratur a ratione.

Contra: si nulla in hac re, & illa, est vniuersa: & hæc intentio est illis vniuersa: ergo a nullo, quod est in hac re, & illa, ac-

cipitur intentio: ergo est signum. Dicitur: quod aliqua vniuersitas in re sufficit, scilicet, vniuersitas proportionis, à qua mouetur intellectus hanc intentionem vniuersam huic, & illi, attribuens: sic enim se habet color ad albedinem, sicut animal ad hominem.

Contra: vniuersitas vniuersitatis maior est vniuersitate proportionis: ergo hæc ab illa non sumitur.

Dici potest: quod occasionaliter potest accipi maior vniuersitas à minori, non totaliter: vnde vniuersitas in retantū est occasio vniuersitatis in intentione, in quantum intellectus mouetur ab ipsa: potest tamen intellectus motus maiorem causare vniuersitatem in intentione.

Aliter potest concedi: quod habet subiectum vniuersum: quia licet nulla eadem res sit in diuersis generibus: potest tamen esse eadem, secundum quod consideratur a ratione: & sic tantum est subiectum intentionis.

Aliter dici potest ad primum argumentum principale: quod verum est de accidentibus, quæ habent suum esse à subiecto: quia non propter aliud aliquid diffinitur per substantiam, nisi quia est per illam: sic enim est alicuius rei quod quid est, & diffinitio: sicut illud est ens: intentio autem non est per suum subiectum: sed habet esse ab intellectu.

Ad secundum principale dico: quod concretum potest diffiniri. Cum autem ostenditur quod non, per Arist. 7. Metaphys. dico: quod ibi vocat dicta per accidens, quæ in se diuersas aggregant naturas: vt homo albus: quia in illis exemplificat in principio capituli: ibi, in dictis secundum accidens, vt albus homo. Ideo omnia posteriora dicta sic sunt intelligenda: vnde, Musicum, supponit pro tali: vt pro homine musico: Musicum enim non habet duplex significare.

Ad aliud de Topicis dici potest: quod iustum non est in genere virtutis: ideo non facit habet bonum, sicut iustitia: est tamen in genere prædicabili.

Vel aliter: quod generalissima accidentium sunt abstracta: & in illis per se non sunt nisi abstracta: id est, quæ recipiunt per se prædicationem ipsorum: tamen concreta inter se sunt in genere per se: quia inter se habent sicut superius, & inferius: quod sufficit ad hoc, vt diffiniantur. Sed sum-

ARTIC. I.

An vniuersale sit genus in hac definitione?

simpliciter loquendo non sunt in genere, nisi per reductionem: quia non sunt in aliquo prædicamento: nisi quia coordinatio concretorum reducitur ad coordinationem abstractorum.

Ad tertium principale dico: quod genus est species vniuersalis, vt dictum est supra quæst. 5. vniuers.

Ad quartum patet per prædicta in solutione: quia definitio vniuersalis ponitur pro genere: & cum illa, differentia per se, differentiis specie.

Ad quintum dico: quod absolutum potest cognosci in se per essentialia, & notiora: & ideo in eius definitione alia poni non debent. Illud autem, quod per se, secundum quod est, dependet ad aliud, sine illo cognosci non potest: sicut dicitur in Prædicamentis capitulo de Relatiuis: & ideo ponitur correlatiuum, non vt notius, sed quia sine eo diffiniri cognosci non potest.

Ad sextum dico: quod differentiis specie, est expositio: & non ponitur ibi, vt partes diuersæ: vt dicendo, de pluribus, id est, de simul pluribus, quod differentiis specie.

Summa textus.

In præcedente quæstione egit Doctor de diffinitio definitionis generis: nunc vero agit de ipsa definitione: an sit conuenienter data: id est, an generi conueniat? An etiam habeat partes ad veram, & propriam definitionem: An tandem si illas habeat; an sit quiddam simpliciter? Hæc enim omnia in Titulo quæstionis continentur. Pro parte negatiua sex rationibus arguit, quarum alix claræ, alix, præsertim sexta, difficiles sunt: vt infra videbimus in earum solutionibus. Deinde ponit aliquorum opinionem asserentium prædictam definitionem esse descriptiuam, quam fortissimis rationibus impugnat. Deinde ex mente propria vnicam statuit conclusionem dicens.

Conclusio.

Hæc definitio: genus est, quod prædicatur de pluribus differentiis specie in eo quod quid est vera definitio: quia constat ex genere, & ex differentia: scilicet ex prædicari de pluribus, quod est genus: & ex differentiis specie in quid, tanquam ex differentia. Tandem soluit argumenta posita pro parte contraria, tam ex mente aliorum, quam ex propria. Nos autem circa hanc quæstionem, se ipsa se in communi disputabimus, & quid scilicet genus: nam de illis, quæ in ea tanquam differentia ponuntur, agemus infra quæst. quinta, & septima.

**I**n assignando genere in hac generis definitione, non est conceptus Logicorum sententia: prima est Alberti Magni, Amosij, & Doctoris Cantuarij in hoc loco, & aliorum multorum asserentium, genus hic, esse naturam in communi, prout subest vniuersalitati in communi: itaque omnes, qui asserunt diffinitum in definitione vniuersalis esse naturam in communi, prout subest vniuersalitati, consequenter idem asserunt de diffinito huius definitionis: ac per consequens, illud diffinitum definitionis vniuersalis erit genus respectu generis, & in eius definitione intelligitur: probatur: quando accidens diffinitur in concreto: vt cum dicitur: album est segregatum visus: loco generis ponitur corpus in communi: ergo similiter, quando diffinitur genus in concreto, loco generis ponitur natura in communi, prout subest vniuersalitati. Antecedens probatur: nam illud est genus, quod est contrahibile: & differentia, quod est contrahens: sed in hac definitione: album est segregatum visus: corpus est contrahibile: quia contrahitur ad esse albi per albedinem: ergo corpus est genus in hac definitione: ac per consequens natura in communi, prout subest vniuersalitati erit genus in generis definitione.

1. Sententia

2. Sententia

1. Argum.

Secundum

Tertium

Secunda sententia est Auicene cap. septimo, Villalpandi, & Tolati in hoc cap. quæst. 3. Petri de Oha quæst. 2. de genere Art. 1. asserens genus huius definitionis esse prædicabile, vel illam particulam quod: quibus suffragatur nosse Mauritijs in hac quæst. Art. 3. & probatur primo in hac definitione ponitur prædicabile: sed non, vt differentia: quia per prædicari (teste Porphyrio) genus non distinguitur ab alijs prædicabilibus: ergo prædicari ponitur loco generis.

Secundo genus in hac definitione debet esse commune ad ipsum genus, & ad individua: sed vniuersale non est huiusmodi: quia non est commune ad individuum: ergo erit prædicabile, quod se extendit ad ipsum. Maior probatur: nam genus, & individua, conueniunt in hoc, quod est prædicari: differunt tamen per prædicari de multis, vel de vno: ergo non vniuersale, sed prædicabile erit illis commune: ac per consequens intentum.

Tertio, & est ratio Toletij licet alijs verbis: differentia ponitur in definitione, ad excludenda ea, quæ sunt sub eodem genere: vt rationale in definitione hominis, ad excludendum Leonem, & Equum ab homine: sed prædicabile ponitur in definitione generis: & non ad excludenda cetera prædicabilia, quæ continentur sub vniuersali: ergo non ponitur loco differentia, sed generis: ergo prædicabile in definitione generis est genus.

K 4 Ter.



3. Sentent. Tertia opinio est nostri Titelmani capit. 7. prædicabiliū, quē sequuntur Copulata Louaniensis capite de Proprio, & Accidente; Soto ibidem, & Mercatus folio 24. affirmans genus hic esse vniuersale inclusum in illa particula, quod; & vnico argumento probatur. Vniuersale in communi est genus ad quinque prædicabilia: ergo vnum quodque, si diffinitur, diffiniri debet per illud: sed genus hic diffinitur: & vniuersale in eius diffinitione non ponitur explicite: ergo ponitur implicite in illa particula, quod, quæ ipsum vniuersale includit.

4. Sentent. Doctoris. Quarta tandem sententia est Doctoris in hac quæst. 8. Dicendum: & in solutione ad quartum, & omnium suorum ibidem: asserens diffinitionem vniuersalis esse genus in hac diffinitione: pro qua notandum primo, quod cum diffinitio, & diffinitum conuertatur, loco alienius diffinito potest poni eius diffinitio: & cum diffinitio cuiuscunque rei ex duabus partibus, ex genere, scilicet, & differentia constet, loco cuiuscunque partis possumus ponere illius diffinitionem: vt cum diffinitio hominem per animal rationale: loco animalis collocare possumus illius diffinitionem, sic dicendo: homo est viuens sensibile rationale.

1. Not.

Secundo notandum: quod; vt partim supra diximus: prædicabile sumitur large, & transcendenter: & strictè, ac limitate: & hoc secundo modo, si sumatur formaliter, conuertitur cum vniuersali tanquam propria illius passio: si vero sumatur radicaliter est idem, quod vniuersale, cuius essentia est esse vnum comparabile de multis, seu esse prædicabile de multis: vide supra in proprijs locis.

2. Notand.

Dicendum primo. Genus potest diffinitione quidditatiua diffiniri: hæc est communis: & patet: tum quia quidditatiue diffinitur: tum etiam quia habet verum supra se genus, & habet veram differentiam: vt ex dicendis apparebit: ergo.

3. Conclus.

Dicendum secundo. Genus in hac diffinitione non est natura in communi, prout subest vniuersalitati: hæc est contra primam sententiam: & patet ex quæstione præcedente Artic. 2. nam sicut diffinitum hic non est natura, vt subest generitati: ita genus illius non erit natura communis, vt subest vniuersalitati.

3. Conclus.

Dicendum tertio. Genus huius diffinitionis non est prædicabile, vt sic, nec vniuersale inclusum in particula, quod: prima pars statuitur contra secundam sententiam: & probatur. Genus in qualibet diffinitione ponitur, vt diffinitum distinguatur ab omnibus, quæ sunt extra tale genus: sed prædicabile non est huiusmodi: ergo: probo minorem: indiuiduum est extra genus generis: nam non est vniuersale dicibile de multis: & tamen genus non distinguitur ab illo per prædicabile, vt sic: quia etiam indiuiduum est prædicabile: ergo prædicabile, vt sic, & absolute sumptum, non est hic genus.

Secunda pars est contra tertiam sententiam: & probatur: si vniuersale inclusum in illa particula, quod, esset genus, committeretur nugatio: idem enim bis poneretur in diffinitione generis: ergo. Sequella probatur: nam ponitur per vos vniuersale: & ultra ponitur prædicari de pluribus, quæ est eius diffinitio cum illo conuertibilis: ergo bis ponitur vniuersale: ergo nugatio.

Dices: quod prædicari de pluribus est propria passio vniuersalis: & ita licet ponatur in diffinitione generis, non committitur nugatio.

Contra: quia tunc talis diffinitio esset superflua: quod non est minus inconueniens: si enim ponitur pro genere subiectum, redundat ponere passionem eius.

Quare forte dicent aliter: quod genus est vniuersale inclusum: & totum aliud sequens est differentia.

Contra: nulla differentia constitutiua, vt sic, est resolubilis in conceptus contrahetis, & contrahibilis: sed hoc totum est huiusmodi: igitur non est hic differentia: patet minor: nam prædicari de pluribus est conceptus contrahibilis: contrahitur enim ad esse generis, & aliorum prædicabilium: vt patet: ergo non potest esse differentia constitutiua generis.

Secundo, hæc secunda pars probatur: quia aliter diffinitio generis esset superflua: ergo: probo sequelam: nam sicut in hac diffinitione, homo est animal sensibile rationale: superfluit ly, sensibile: quia quidquid dicitur de animali, dicitur de sensibili: ita in diffinitione generis, si ponatur pro genere vniuersale, superfluit prædicari de pluribus: quia qui dicit vniuersale, dicit etiam de pluribus prædicari.

Dicendum vltimo. Genus in diffinitione generis est vniuersalis diffinitio, videlicet prædicari de pluribus: sumendo prædicari radicaliter: hæc est Doct. vt patet: & probatur tum à sufficiente diuisione: tum etiam: quia talis diffinitio vniuersalis ponitur in hac diffinitione: non vt differentia: vt constat, quia conuertitur cum vniuersali: ergo vt genus: patet etiam ex notabili primo.

Vlt. concl.

Ad argumentū primæ opinionis dico: quod in diffinitionibus concretorum, nunquam pro genere ponitur connotatum: quia sicut ipsum non per se significatur; ita nec per se est genus: sed tale est aliud concretum superius; vt in exemplo posito: quando dicimus: album est disgregatum visus: pro genere non ponitur corpus in communi: sed coloratum: corpus vero sicut est connotatum huius concreti, coloratum: sic vbiunque ponatur per se, connotati semper rationem induet: & cum connotatum non sit diffinitum diffinitionis concreti in communi, ita non potest esse genus talis concreti in particulari: ita in proposito dicendum est.

Ad argumentū primæ opinionis.

Ad argumenta secundæ sententiæ: ad primum quod ponitur, prædicabile de pluribus, tanquam genus: sed prædicabile de pluribus est diffinitio vniuersalis: quod est nostrum intentum.

Ad primam secundam sententiæ.

Ad secundum nego maiorem: imo per genus huius diffinitionis debet indiuiduum excludi, ne generis, aut alterius prædicabilis sibi rationem vsurpet.

Ad secundum.

Ad tertium nego minorem: nam non ponitur hic tantum prædicabile; sed prædicabile de multis: quæ est diffinitio vniuersalis, quam loco ge-

Ad tertiam.

eo generis immediati poni testamur.

Ad argumentū tertiam sententiæ dico: quod quamuis vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia, nihilominus loco eius ponitur sua diffinitio: tum maioris claritatis gratia: tum etiam ne committeretur nugatio: vt diximus. Beneuerum est tamen: quod Logice, & quidditatiue simpliciter, sic genus diffiniri potest: genus est vniuersale in quid incomplete: sed diffinitio Porphyrij, optima est, & explicatius procedit.

Ad argumentū tertiam sententiæ dico: quod quamuis vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia, nihilominus loco eius ponitur sua diffinitio: tum maioris claritatis gratia: tum etiam ne committeretur nugatio: vt diximus. Beneuerum est tamen: quod Logice, & quidditatiue simpliciter, sic genus diffiniri potest: genus est vniuersale in quid incomplete: sed diffinitio Porphyrij, optima est, & explicatius procedit.

ARTIC. II.

An diffinitio generis sit quidditatiua: an descriptiua?

1. Sentent.

PRIMA sententia iam tempore Doctoris celebris, & nunc à quibus plurimis Thomistis defensata, asserit traditam diffinitionem esse descriptiuam: ita Ammonius, Albertus, & Commentator eorum. vltimo huius capituli: & alij, quos citat, & sequitur P. Barnabas Gallego, controu. 13. & præter argumenta in textu Doct. allata: sic denuo probatur: sicut se habet prædicabile ad vniuersale: ita prædicabile de differentibus specie, ad genus: sed prædicabile in communi est passio vniuersalis: ergo prædicabile de pluribus differentibus specie erit proprietas generis: sed genus in prædicta diffinitione diffinitur per hanc proprietatem: ergo hæc diffinitio est descriptiua.

Arg.

2. Sententia.

1. Not.

Secunda sententia est Doctoris, & omnium suorum cum alijs aduentis, asserens hanc diffinitionem esse veram, & quidditatiuam: pro qua notandum primo, quod secunda generis intentio dicitur prædicari de pluribus differentibus specie in quid: eo quod applicatur aliquibus prædicatis, quæ à parte rei sunt de intrinseca quidditate speciei: vt animalis quod est de quidditate hominis, & coloris: quod est de quidditate albedinis: non vero dicitur prædicatum in quid: eo quod fit de intrinseca quidditate animalis, seu coloris: quia nullū accidens rationis potest esse de quidditate rerum primæ intentionis. Vnde cum genus, & species, sint correlatiua: & vniū relatiuū habeat, & referri ad suum correlatiuū, & eius relationem terminat: ideo duplicem diffinitionem generis tradidit Porphyrius: quibus hæc duo de genere declararet. Prima est: genus est id, sub quo species collocatur: secunda: genus est, quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid prædicatur. In prima, vtrumque explicatur: & in primo sensu sic exponenda est: genus est vniuersale, quod refertur ad speciem: vt autem terminat relationem speciei, sic explicari debet: genus est vniuersale, ad quod plures species terminantur. Cæterum, quia terminare est proprietatis correlatiui: ideo de prima diffinitione non querimus in præfenti: sed de secunda, quæ melius explicat hoc, quod est genus ad speciem referri licet in hoc sensu, etiam de prima est agendum.

2. Not.

Secundum notandum: quod diffinitio quidditatiua differt à descriptiua: nam ista datur per aliquid extraneum: siue sit propria passio, siue accidens commune: vt in suo loco in Summis diximus: illa vero datur per essentialia, & intrinseca quidditatiua: ideo enim quidditatiua dicitur, quia per essentialia quidditatem diffinitur explicat. Vnde cum quidditas, res, & entitas, recipiuntur: & res, seu ens, tripliciter sumatur, secundum Doct. quodlib. 3. art. 1. scilicet communissime, communiter, & strictissime: & primo modo comprehendit omnem ens rationis, & realiter: sic quidditas etiam comprehendit quidditates rationis: per consequens diffinitio explicans quidditatem generis, seu cuiuscunque secundæ intentionis, per sua essentialia quidditatiua nuncupabitur. Nec obstat ipse Doctor in 4. dist. 1. q. 2. quando ait: diffinitionem quidditatiuam esse solius entis realis: nam loquitur de diffinitione quidditatiua rigoroſa, & strictè sumpta: non vero de diffinitione quidditatiua communis imè, & large acceptæ: quare conditiones, quas ad diffinitionem quidditatiuam ibi postulat, & assignat etiam huic, de qua loquimur, conuenire debent: suo modo.

3. Not.

Tertio notandum ex eodem Doctore in 4. dist. 1. 2. q. 1. lit. L: quod diffinitio quidditatiua est duplex: altera pure quidditatiua, cuius omnes partes pertinent ad essentiam, & quidditate diffinitur: vt animal rationale respectu hominis: alia est quidditatiua per additum, quæ à Doctore quietatiua dicitur: & est illa, in qua: præter essentialia, aliquid extrinsecum additur, quo melius quidditas diffinitur declaratur: vt substantia in diffinitione accidentis: & terminus in diffinitione relatiui.

3. Conclus.

Dicendum primo, prima diffinitio generis, quatenus explicat genus esse terminum speciei, est descriptiua: hæc est communis cum Ammonio, & Alberto: & patet: nam generi, vt vniuersali, & relatiuum est, accidit terminare relationem speciei: ergo diffinitio explicans illud, vt sic, est descriptiua.

2. Conclus.

Dicendum secundo, prima diffinitio generis explicans illud, vt relatiuum ad speciem, est quidditatiua: eo modo; quod de secunda diffinitione dicemus.

3. Conclus.

Dicendum tertio, hæc diffinitio: genus est, quod prædicatur de pluribus, &c. Est quidditatiua per additamentum: Hæc est Doct. in præfenti: & in 4. dist. 1. q. 2. lit. H. & I. prima pars probatur: nam omnis diffinitio constans ex vero genere, & vera differentia est quidditatiua: hæc est huiusmodi: ergo. Probo minorem: nam diffinitio vniuersalis est verum genus illius: & illa particula: de pluribus differentibus specie in quid: est vera differentia: vt dicemus: ergo. Probatur etiam omnibus rationibus Doctoris, quæ faciunt ibi: dicitur ad quæstionem: quæ; quia optimè sunt in littera formate: hic non appono.

Secunda pars est manifesta: nam in hac diffinitione, ultra genus, & differentiam, ponitur ille ablatiuus: specie; tanquam terminus generis: quia vt ait Doct. in 4. vt supra §. de tertio principali, in fine: in diffinitionibus relatiuorum semper ponitur aliquid, vt additum: scilicet subiectum, vel